

escunt illi vere vt olim dictum est μηχανογραφοὶ κακῶν telam calumniarum texere, donec tales in grauissimas adducant suspiciones et pericula.<sup>251</sup>

Ita deinde gubernatores politici, quibus nostra aetate iudicia de dogmatibus commendantur, accensi ab istis furiis sacerdotum incipiunt saeuire in meliores et grauibus poenis persequi recta monentes. Huius rei culpam, in quem  
 5 transferemus, nisi in quosdam Cleones<sup>252</sup> nostrarum ecclesiarum, qui adeo sunt inclementes et inhumani, vt venentur omnes suspiciones, omnes leuissime occasiones, quibus alter alterum ad populum possit deformare, cum alioqui populus de talibus rebus nihil cognosceret, sed simplici explicatione doctrinae contentus foret. Hinc inflammantur odia potentum aduersus innocentes, praebetur occasio dissensionibus et distractionibus infinitis, quae demum  
 10 vtrique parti exitiosae futurae sunt. Necesse est iudicia esse in ecclesia, sed quis probet talem ordinem? Conueniant eruditi, deligantur iudices ex vtraque parte sicut ipsa naturalis ratio dictat, audiatur et examinetur causa, postea  
 15 ferantur suffragia congruentia ad veram normam. Talis cognitio, cum nondum instituta sit, nec synodus in tanta animorum exulceratione, cum desit gubernator, qui sua autoritate coerceat contumaces et petulantes, conuenire possit, quae est audacia paucos eosque ferme rerum omnium imperitos tot  
 20 ita acerbe criminari et condemnare? Annon tales tyranni recte dicuntur idola et parricidia stabilire inter nos et inter aduersarios? Apud [88:] nos populus non eruditur nec iubetur falsas persuasiones deponere, imo talibus contentionibus profundius immergitur et gubernatores acuuntur ad saeuitiam erga  
 25 Deo Maozim tanquam pro aris et focus dimicant, istis hyperbolicis clamoribus pro stabiliendis suis furoribus vtuntur et hoc praetextu crudelius in pios Christianos, qui vere sunt membra Christi, suorum tyrannidi subiectos grassantur, sicut de hac nostrorum incogitantia etiam quidam sapientes principes ex nostris conquesti sunt, et res ostendit, quid in Gallia, Belgico, Hispania et  
 30 Anglia acciderit, vbi nihil vsitatius est quam propter negatam veram praesentiam veri corporis ad crudelia supplicia sanctos homines abripere. Si vero haec crudelitatis ansa et saeuendi fenestra, quae hac ratione patefit tyrannis et a nostris confirmatur, non mouent nostros doctores, vt sint in hac causa mitiores et magis circumspecti, nimis sunt asperi. Sed iam audio obstrepentes  
 35 quosdam, quibus ingrata sunt moderata consilia, frustra ista proponi et frustra peti cognitionem huius controuersiae. Viuente enim Luthero satis ista esse explicata et vero iudicio definita. His respondeo. Vtinam sicut pij aliqui principes expetebant omnia in colloquio recto suscepta fuissent ordine. Vti-

<sup>251</sup> Vgl. Lucius Annaeus Seneca, Epistulae morales ad Lucilium CIV, 10, in: L. Annaei Senecae ad Lucilium epistulae morales. Bd. 2, hg. v. Leighton Durham Reynolds, Oxford 1965 (SCBO), 436.

<sup>252</sup> Kleon war ein athenischer Politiker und Heerführer während der Zeit des Peloponnesischen Krieges. Von Thukydides wird er als skrupelloser Demagoge beschrieben. Vgl. zu seiner Person Wilfried Schmitz, Art. Kleon, in: NP 6 (1999), 582.